



320
20

Z. n. 18.



18. iij.



Q. D. B. V.
**CIVITATIS
BETHLECHEM**

IN
PROLIXA CIVITATVM TRIBVS IVDÆ RECENSIONE
IOSVÆ CAP. XV, 60.
IN CODICE HEBRÆO OMISSÆ ET
IN LXX, INTERPRETVM VERSIONE
SVPPLETÆ CAVSAS
EXPENDENS
AD

ORATIONEM SOLENNEM

IN
TEMPLO ILLVSTRIS AVGVSTEI
IPSA FERIA FESTI PRIMA

**NATIVITATIS
CHRISTI**

POST SACRA MATVTINA
HORA XII,
AVDIENDAM

ILLVSTRES AVLÆ SERENISSIMÆ MINI-
STROS VTRIVSQVE REIPVBL. PROCERES ET LI-
TERATOS CIVITATIS HVJVS BONARVM
ARTIVM AMANTISSIMOS

VT ET
POLITISSIMOS ILLVSTRIS AVGVSTEI CIVES
OBSERVANTISSIME OFFICIOSISSIME
HVMANISSIMEQVE
INVITAT

M. CHRISTIANVS REINECCIVS

SS. TH. B. CONSIL. SAXO-QUERF. ILL. AVGVSTEI RECTOR ET P. P.

LEUCOPETRÆ,
LITERIS G. A. LEGII, AVL. ET AVG. TYPOGR.



Undi Salvatorem in ipsa Urbe **BETHLECHEM** natum esse, in superioris Anni Programmate Festi Natalitorum Christi adstruximus, & insulsam Pseudo-Evangelistarum narrationem de Spelunca in agro Bethlechemitico, aliorumque de suburbano diversorio *Φάτρης* die *Krippe* vel *das Wirths-Haus zur Krippe* dicto opinionem excussimus, cæterasq; ad suos Auctores fabularumque Patronos fabulas remisimus. Id vero de Loco Christi Natali in Urbe Bethlehem mirum adhuc videtur, quod

hæc ipsa Ciuitas Judæ, ex qua Rex David & Dominus Davidis oriundus erat, in recensione Ciuitatum tribus Judæ Josuæ c. XV. 59. seq. sit omissa, & tantum in Versione Græca LXX. Interpretum suppleta legatur. Vexat iste locus Josuæ & antiquos & modernos Criticos *V. Hieronymus* Com. in *Mich.*, *Buxtorfius* Anti-Crit. p. 690. &c. Recentissime hoc denno Saxum movit *R. P. Paulus Pezronius* in tr. L'Antiquité des Temps p. 28. & *Defens. de l' Antiqu.* p. 247., sed in adducta ratione testimoniorum Judaicorum confundisse hunc videtur locum Josuæ XV. cum Josuæ c. XXI. 36. 37. *Vid. B. H. Gebhardus* in *Vindic. contra Pezronium*. Attamen utrumque rursus locum conjungit in *Dubiis Vexatis* *D. Aug. Pfeifferus*, Loc. III. p. 333. & Textum Hebræum in utroque loco sine illis verticalibus integrum esse defendit, eaque omnia quæ Josuæ c. XXI. 36. 37. de quatuor urbibus Tribus Ruben habentur in quocunque Codice, æque ac quæ Jos. XV. 60. de ciuitatibus tribus Judæ in Versione LXX. Interpretum addita leguntur, supposititia esse arguit, nec reperiri in antiquis Hebræorum Libris scribit. Enimvero horum duorum Josuæ Locorum non eadem ratio est. Non incipiamur verba hæc Jos. XXI. 36. 37. ארבע ריבון את כפר וחת מנרשה וחת ורצה וחת מנרשה עירוב: και πρεσβυτέρω τοδών τε κατὰ Ἱερουζολήων φυλάξας τὸ βήθηλεμ ἵνα φυγαδευθῶν ἡμῶν τῶ Φουαύσας ἢ τὸν βοσὸς ἐκ τῆ ἑρήμω, τὴν Μισαὶ καὶ τὰ περιτόρεια αὐτῆς, καὶ τὴν ἰαθῆρ καὶ τὰ περιτόρεια αὐτῆς, καὶ τὴν Δικαιὸν καὶ τὰ περιτόρεια αὐτῆς καὶ τὴν Μαφὰ, καὶ τὰ περιτόρεια αὐτῆς. τῶλης τῶ βῶρες: jam olim in nonnullis Codicibus Hebræis abfuisse, quod ex antiquis *R. Haii*, *R. Chajim* & *R. Dav. Kimchi* testati sunt; & Bibliotheca Divina *Hieronymi* V. Tom. I. Op. p. 276. nec non *MS. Codex Jenensis* apud *Glasfium Ph. S. p. 61.* confirmat; & hodie in quibusdam Editionibus Bibliorum Hebræorum omitti auctoritate *Davidis Kimchi* & *Masoræ* docent Editiones quæ apud nos sunt communissimæ *Leusdenii* 1667. &c. *Clodii*, *Maji*, *Jablonskii*, *Hoghtii*, *Opirii* &c. Attamen quod præcætibis Philologis & Theologis nonnullis aliis scribit *Friedtibus* in *Th. Exeg.* ad *Jos. 21. p. 291.:* duo hæc commata in omnibus Hebræorum Libris non inveniuntur; veritati consentaneum non est. Nam ipse *R. Kimchius*, qui hos versus non acceptat, testatur nihilominus illos suo tempore lectos esse in codicibus quibusdam Bibliorum Hebræorum. Hodieque in vetustissimis & optimis *MSis HISPANICIS & GALLICIS* reperiri, attestantur *Richard. Simonius* libr. I. Hist. Crit. c. 22. p. 115. & *Monachi Benedictini* T. I. Opp. Hieronymi p. 276. Leguntur etiam in duobus *MSis BEROLINENSIBUS* & *Msto ANHALTINO DESSAVIENSI* *Vid. Jablonski* in *praef. ad Bibl. H. §. 27.* & in *ERFURTENSIBUS* *Vid. J. H. Michaelis* *disf. pec.* p. 29. nec non in vetusto *MS. Principis THEODORI V. Benedictini* l. c. & *Ducis RHAANÆ V. Hottinger.* *Thef. Ph.* p. 131. Quibus atque aliis *MSis* accedunt Editiones ad *MS. Codices* collatæ, *Ed. Bibl. Complutensis* *A. 1517.*, *Venetæ* *A. 1517 & 1518.* in *f.* & in *g.* (est in ed. i. ad marginem tantum ponantur) & 1520. *Antvverpiensis* 1572., *ed. Vat. abli* 1586., *Elie Huveri* 1588., *Heptaglotta Parisiensis* 1645., *Polyglotta Anglicana* 1657. Item *edd. Justiniani* 1542., *Munsteri*, *Rob. Stephani*, *R. Menasse Ben Israel*, *R. Athig* 1661. &c. Ut *fileam* *Commentarios R. Abarbenelis*, *R. Salomonis* & *R. Levi* &c., & *Versiones Chaldaicam* in *Cod. MS. Complut.* & in *Bibl. Polyglottis Hisp. Paris. Angl. &c.* it. *Syriacam* & *Arab.*, it. *Latinas plerorumque & Germanicas* ipsas etiam *Judæorum R. Jekubielis Bliz* 1679. & *R. Athia* 1687. &c. Et quod maximum est, ipse contextus & urbium computatio in *textu Jos. XXI. v. 7. 40. & 41.*
hos



hos Versus sibi vindicant necessario nexu, & communi propemodum calculo Criticorum. Qua propter jam ante aliquot annos nullus dubitavi hos duos Versiculos in Bibliis nostris *Qvadrilingvibus V. T.* typis tradere, & in editione manuali Bibliorum Hebraicorum, quae adhuc Lipsiae sub prelo sudant, repetere, nixus Codicibus modo laudatis & argumentis, quae in Annotationibus ad Biblia *Qvadrilingua* p. 610. fufus adduxi & vindicavi. Quod vero ad alterum nostrum praesentem locum spectat Josuae c. XV. 59., qvi in LXX. Interpretum Versione non sine variatione Codicum & Editionum legitur & est: *Τεκὰ δὲ Ἐφραθα αὐτῆ ἐπὲν Βηθλέεμ, καὶ Φαγὼρ, καὶ Αἰθὰν, καὶ Καρὰν, καὶ Ταβὰμ, καὶ Θαλαῆς, καὶ Καρὲμ, καὶ Γαλέμ καὶ Θεθὲρ, καὶ Μανωχὰ πύλων ἑσθρα καὶ αἰ κἀμαρ αὐτῶν* de eo facilius admittimus, quod *Buxtorffus Anti-Critic.* p. 690., *Calovius* h. l. & *Pfeifferus* l. c. aliique scribunt, nec in Hebraeo, nec in Chaldaeo, nec in Masora, nec in Hebraeis Commentariis, nec in omnibus Graecis exemplaribus, nec sine obeliscis in Codicibus plurimis in Codice Alexandrino & in Syriaco ante mille annos scripto apud *Masium* h. l. &c., nec in *Vulgata Clementina* haberi. Dubius quidem jam olim circa hunc locum fuisse *Hieronymus* legitur, ejusque haec sunt verba *Comment.* in Mich. c. 5.: *Legimus juxta LXX. duntaxat Interpretes in Jesu Nave, ubi tribus Juda urbes & oppida describuntur, inter cetera etiam hoc scriptum: Thaeo & Ephrata, haec est Bethlehem, & Phagor & Aetham & Culon & Tami & Soris & Caram & Gallim & Bather & Manochi civitates undecim & viculi earum; quod nec in Hebraico, nec apud alium invenitur Interpretem, & sine de Veteribus libris erasum sit malitia Judaeorum, ne Christus de tribu Juda ortus videretur, sive à LXX. additum, nequaquam liquidò cognoscetes certum quid novimus.* At vero non constat Hebraeum Codicem unquam visum esse vel ab *Hieronymo* vel à quoquam alio, in quo ista verba extiterint. Nam quod *Pezronius* l. c. testimonia crepat Judaeorum, *Kimchi* &c., in eo fallitur, & ut supra innumus, videtur hunc locum confudisse cum cap. XXI Josuae: nulla enim adduxit ipse, nec adducta ab aliis vidisse, certo pervasi sumus. Vid. *Gebhardus* l. c. Neque *Lud. Capellus* in *Crit. S.* l. 4. c. 5. n. 3. p. 294. afferre pro eo, quod genuinum putaret, quicquam potuit aliud, quam quod non videatur verosimile, omisium esse Bethlechem, cum fuerit illa nobilis nat alibus *Davidis & Christi*. Quod quidem etiam apprehendit *Job. Clericus* in *Com.* ad h. l., nec negari recte à *Buxtorffo* per consensum Codicum temporibus LXX. Interpretum recentiorum arbitratur. At enim vero multa LXX. Interpretes saepe de suo addidisse constat pluribus documentis & exemplis. Ideoque à Versione LXX. Int. ad Lectionem textus Hebraei in tali casu non firmum ducitur argumentum, nec hoc argumentum unicum esse debet. Deinde ipsa variatio Versionis hujus h. l. in *Codice Vaticano, Alexandrino, Oxoniensi, Aldino &c.* & jugulatio horum verborum in Codicibus antiquissimis LXX. Versionis arguit, nondum satis patere, quod illa verba sint LXX. Interpretum, & non potius addita ab auctore alio, & ex margine in textum illata ad plenorem efficiendam recensionem urbium tribus Juda. Non leguntur nisi sub obeliscis *Origenianis* in *Codice Alexandrino, in Codice Syriaco Masii* & aliis, & in Editione *Complutensi* plane omittuntur. An ergo Veterum Codices Hebraei & ex his alii exarati non attigisse putandi sunt artem LXX. Interpretum? An versio Chaldaica promanavit ex minus antiquo Codice Hebraeo? A Judaeis verba illa an forte sint erasa, an ab Interpretibus addita, in dubio *Hieronymus* l. c. relinquat & nihil definit. Judaeos vero ab ea incusatione corrupti textus facile liberat *J. Clericus* l. c. & *Hieronymi* rationem nullam judicat, etsi casu, quo Scriptor à voce *וּצְרִיָה* v. 59. incidit in eandem vocem v. 61. omisis verbis, de quibus disquiritur, excidere verba potuisse censet, quod aliis quandoque locis accidisse scribit, nec nos in loco Josuae c. XXI. 36. forte factum negamus. Sed h. l. prius probandum est *Job. Clerico* verba controversa adfuisse in textu Hebraeo, antequam putentur casu excidisse, aut sic omitti potuisse. De illo autem in nullo Codice Hebraeo, nec apud alium Interpretem nec in ipso textu ullum vestigium apparere. Ita vero omitti potuisse casu, ut nullum relictum sit vestigium & in omnes univere Codices invaserit malum, cuimam pervasa-

persuadebit Clericus? Et quare altera Hieronymi conjectura, qua addita illa verba esse à LXX. Int. scribit, tam facile deferitur a Clerico, qui tamen ipse aliqua addita esse ab ipsis LXX. Interpretibus concedit, & interpolationes quoque ab aliis factas admittit in Versione Græca? Hæc certe certior videri potuit, quam talis uniuersorum Codicum depravatio, sive per Judæorum coeptra malitiam, sive facta casu putetur, qvales per ipsam Dei providentiam & curam pro sacro Codice in omnibus exemplaribus admittenda non est. Nec ratio *Capelli* hoc efficit. Nam etsi Bethlehem Ephrata natalibus Davidis & Christi facta fuerit nobilis: tamen eo tempore nobilis nondum fuit, nec fuit necesse, ut ejus h. l. mentio fieret, cum ex aliis locis nota satis facta fuerit & celebrata ob illos Natales. Ejusque splendor Natalitius per hanc additionem in Versione Græca non augetur, nec per omissionem in Codice Hebræo imminuitur. Neque Judæi lucrari quicquam hac omissione possunt nedum loci depravatione, quod pluribus ostendit *Hadr. Relandus* in Palæstina p. 480. Cujus hæc sunt: Ego autem nihil (atque adeo nec hoc) à Judæis erasum esse ex Codice Hebræo existimo. Major est eorum veneratio & superstitio erga S. Codicem, quam ut illum vitiasse consulto & de industria censeris possint, tantum ut hostibus suis i. e. nobis nocerent. Quodsi vel maxime illos credamus eo stultitia & impietatis devotire potuisse, apertiora de Christo testimonia, quæ adhuc leguntur in codicibus eorum idem erasissent, & quibus jam Christiani contra eos utebantur. Uti de gloria Templi secundi Hag. 2, 10. de 70. heddomadibus Dan. 9, 24. De Bethlechem patria Messia futura Mich. 5, 1. Adde quod quidam inter ipsos in Gem. Hierof. Berachoth fol. 5. 1. fateantur Bethlechem Messia fore patriam, uti in Echa Rabba fol. 72. 1. legitur Messiam nasciturum בְּבֵית עֵרְבָה רַבְּתָא דְּבִירָתָא in *Birath arba* in *Bethlechem Judeæ*. De *Birath arba* Glossator notat esse nomen loci in Bethlechem Judæ. Verè igitur potius causæ omissionis Bethlechem & aliarum urbium in isto catalogo Civitatum tribus Judæi fuisse videntur, quod Scriptor Sacer tantum voluerit celebriores urbes, & illas quæ jam occupatæ & hostibus ereptæ erant, recensere, imprimis quæ in finibus ejusque tribus & tribus Judæ sitæ erant, quod ex ipsa recensione patet. Jam vero constat Bethlehemum inter minima loca fuisse & nondum occupata, sed in quo tanquam montano loco & Hierosolymis vicino adhuc Jebusæi latitarunt, qui expelli statim non poterunt. Sic quoque duæ Philistæorum Sarrapiæ omisæ sunt Gath & Ascalon, & urbes Sacerdotales, quæ Jos. XXI. 14. 16. habentur. Ipse etiam Scriptor sacer haut obscure indicat, historiam occupationis terræ ipsam ad sua tantum tempora & scriptionis hujus extendere voluisse Jos. XV. 63. Non ergo Textus Hebræus ob omissionem Bethlehemii aliorumque oppidorum depravatus censeri debet, neque casu in Codicibus nostris quicquam excidisse h. l. probari potest. Quod autem in LXX. Interpretum Versione istæ urbes ex aliis Scripturæ locis collectæ, fuerint additæ, factum putatur ad pleniorum catalogum Civitatum Judæ exhibendum, idque vel ab ipsis Senioribus, vel quod vero similis videtur ab aliis, qui hoc additamentum privato prius studio in margine posuerunt, quod postea in ipsum Græcæ Versionis textum irrepsit. Causæ igitur nostræ & Patriæ Salvatoris nostri Jesu Christi, inde quod Josue c. XV. non recensita sit urbs Bethlehem nihil decedit, quippe quæ suis Locis Classicis satis definita est & expressa, ex quibus abundantis sime agnitus est Dominus in Civitate David ex Juda ortus. Hunc Dominum in *Civitate David recens natum sub imagine Stelle orientis ex Jacob* nobis in Oratione solenni & elegantissima *Juvenis Nobilissimus atque Pereximius DN. JOHANNES CHRISTIANUS RENISCH* Leucopetrensis, Philos. Studiosus maxime sedulus & pietatis amans, morumque probitate & doctrina Politissimus contemplandum proponet. Ad quam benigne devotèque audiendam *Illustr. Aula Serenissime Ministris, Utriusque Reipubl. Proceres & Literatos hujus Civitatis Bonarum Artium Amantissimos, nec non Ill. Augustei Cæres Præstantissimos* decentissima cum cura invitamus eosque ut Actui huic oratorio pio & sacro interesse ne graventur enixissime oramus. P. P. D. A. Adv. 1723.

Nr 885.
40

ULB Halle
001 556 347



3

So.

Witt

2. C.





Q. D. B. V.
CIVITATIS
BETHLECHEM

IN
PROLIXA CIVITATVM TRIBVS JVDÆ RECENSIONE
IOSVÆ CAP. XV. 60.
IN CODICE HEBRÆO OMISSÆ ET
IN LXX. INTERPRETVM VERSIONE
SVPPLETÆ CAVSAS

EXPENDENS
AD
ORATIONEM SOLENNEM

IN
TEMPLO ILLVSTRIS AVGVSTEI
IPSA FERIA FESTI PRIMA

NATIVITATIS
CHRISTI

POST SACRA MATVTINA
HORA XII.

AVDIENDAM

ILLVSTRES AVLÆ SERENISSIMÆ MINI-
STROS VTRIVSQVE REIPVBL. PROCERES ET LI-
TERATOS CIVITATIS HVJVS BONARVM
ARTIVM AMANTISSIMOS

VT ET

POLITISSIMOS ILLVSTRIS AVGVSTEI CIVES
OBSERVANTISSIME OFFICIOSISSIME
HVMANISSIMEQVE

INVITAT

M. CHRISTIANVS REINECCIVS

SS. TH. B. CONSIL. SAXO-QVERF. ILL. AVGVSTEI RECTOR ET P. P.

LEUCOPETRÆ,

LITERIS G. A. LEGII, AVL. ET AVG. TYPOGR.

